



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De exceptionibus. Consilium CXXXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

Vade Rever. D. Iudicis officium nunc esse putamus, ut retractata priore sententia Reum Actori condemnet ad solutionem dictorum viginti florenorum, simul & in expensas utriusque instantia. Quia in re impedimentum nullum facit, quod Reus iuramentum factae solutionis praestiterit: I est enim voluntarium iuramentum, quod pars parti in iudicio defert, semel praestitum irrevocabile sit, l. Aut Prator D. De iureiur. l. Generaliter §. si autem c. De reb. cred. quia loco solutionis cedit, l. Iuramentum De iureiur. & ob id parti deferenti remedium appellationis denegatur, d. l. Generaliter §. si autem u. in fine C. De reb. cred. quod tamen Iudex in supplementum vel exonerationem probationis iudicando defert utrique, retractari potest per remedium appellationis a relatione, seu sententia, ex delatione & praestatione iuramenti lata, interpolata, si declare non recte à Iudice priore delatum esse iuramentum alteri litigatorum, vel quia ei omnino deferri non debuit, vel quia potius alteri parti deferri debuit, d. §. si autem vers. si autem illatum, l. as. in l. Admonendus nu. 42. in 2. lect. D. De iureiur.

De exceptionibus.

S V M M A R I V M.

Exceptio probrosa.

1. Advocatus tenetur, si pro causam partem adversam scripto ledat.
2. 4. Advocatus etiam probrosa obijcere potest ex capite clientis.
3. Praesumendum in meliorem partem.
5. Advocatus non facit sed dicit articulos.

CONSILIVM CXXXVIII.

L I C E T negari nequeat, quin injuria affectus sit Ioannes Coppens per falsi illam objectionem, de qua nuper scripsimus; non videmus tamen, quo iure actione injuriarum eo nomine agi possit ad versus M. Ioannem C. Advocatum, ex eo, quod patrocinando huiusmodi probrosas allegationes scripturis suis inferuerit. I Est quidem verum graviter peccare, & diminutionem famae pati Advocatum, si procacius causae serviens ab injurijs non temperet, & probris ac contumelijs certandum putet, l. Quisquis C. de postulando; * verum quin probrosa etiam obijcere possit, cum causae utilitas poscit, dubium non est, d. l. Quisquis in verb. quam litium poscit utilitas: Veluti (inquit Accursius in d. l. Quisquis in V. utilitas) si obijciat, quod testes falsos intruxerit, aut calumniatus sit; non ita quidem, ut cum convitio vel animo convitiandi id faciat, sed ut factum simpliciter proponat: quae propositio cum ex necessitate suscepti patrocinij fiat, praesumptionem animi injuriari volentis avertit; sine quo animo & propositio numquam nascitur injuriarum actio, l. Illud §. 1. de iniur. l. Si non conviti C. de iniurijs. 3 * & in facto ambiguo, obscuro, vel indifferenti in meliorem partem semper inclinat praesumptio, ut delictum excludatur, l. Merito D. pro socio; sic ut quaecumque excusatio, etiam iusta, si modo absit verus dolus, admittatur, l. Igitur de lib. causa, & ne quidem ex lata culpa inducendi delicti occasio permittatur, Bald. cons. 277. In causa Guistellini n. 2. vol. 5.

Quia igitur Advocatus postulando non solem, 4 sed clientis desiderium exponit, aut alterius delictio pro cliente contradicit, l. 1. §. postulare, de postulando, injuriandi affectum (nisi is extrinsecus probetur) habere non praesumitur. I Vnde etiam est quod dixit Speculator, in tit. De positionib. §. 3. vers. sed patronus, Advocatos non facere, sed tantum dicere positiones; & ut ait Baldus, in addit. ad Specul. d. tit. de posit. in princ. vers. advocatus, dicitur Advocatus tanquam pica in persona clientuli: sic ut, cum profertur positio, aut allegatio per Advocatum conscripta, non possit illa dici Advocati esse, sed partis seu clientis, specul. loco supra allegato. Et quamvis consilium praestet, id tamen non rei sed formae tantum est; ut scilicet allegatio inepte non proponatur, Bald. loco supra citato. Vnde etiam est, quod dictus Advocatus limitativè scripserit quoad formulam, et si me non fallit memoria, curaverit quod Gabriel de Nayer etiam subscripserit; quae limitata subscriptio & accessione subscriptionis Gabrielis cedente, simplex Advocati subscriptio accipienda, esset secundum solitum morem & consuetudinem, & juxta officii necessitatem & qualitatem. Proinde, consilius mihi facturus videtur Ioan. Coppens, si in solum Gabrielem injuriarum actionem conijciat, & ab Advocato abstineat.

De exceptionibus.

S V M M A R I V M.

Exceptio excommunicationis.

1. Exceptio excommunicationis nisi probetur intra octavam diem litis progressum non impedit.
2. c. Pia De except. lib. 6. intellectus.
3. Paria sunt, non agere & non debito tempore agere.
4. Iudici delegato non creditur nisi ostensa commissione.
5. Excommunicatio non probatur per instrumentum nisi iudici delegati commissione inserta.
6. Excommunicatus appellare potest, & appellationem persequi.
7. Concesso aliquo, id quoque concessum censetur, sine quo aliud expediti nequit.
8. Calusula, & cum absolutione ad effectum praesentium.
9. Solita praesumuntur.

CONSILIVM CXXXIX.

V E N E R A B I L I S D. Praeposite, cum exceptio excommunicationis magnam malitiae, calumniae, cavillationisque aniam ijs praebeat, quorum studium magis versatur in protelandis differendisque causis, quam promovendis & ad debitum finem perducendis: I rectè factum est, ut objecta à quocumque excommunicationis exceptio, litis progressum non impediatur, nisi intra octavam diem, ex quo obiecta & admilla est legitime & aperte probetur; ita ut eo termino lapsio Iudex in causa procedere debeat & condemnare Opponentem in expensis, ratione huiusmodi exceptionis oppositae factis, cap. Pia de except. lib. 6. I Qui quidem terminus octo dierum à iure statutus sic currit ipso iure proponenti, ut absque aliqua Iudicis assignatione litium ab ipsa propositione & admissione decurrat, Spec. in tit. De dilat. §. 1. vers. sed nunquid & ibi Ioan. Andr. in addit. Gemman. Phil. Franc. in d. c. pia §. 1. Ant. Cope. decis. Neapol. 83.

Cum